



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Venæ & Arteriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

scilicet aëre, eo ferè modo, quo vinum in lagenis vitreis circumfusa glacie refrigeratur: imò etiam per poros arteriæ & venæ pulmonaris subtiliores aëris particula sanguinem subeunt; & si purus est, quodammodo recreant, motumque promouent. Notandum, materiam illam, quæ sputando, non è glandulis salivalibus, sed è pulmonibus nonnunquam ejicitur, prodire posse ex crassioribus fuliginibus sanguineis, in cellulis pulmonum concrecentibus, quæ tandem ipsum pulmonem alterarent, nisi ejicerentur. Addunt aërem pulverulentum, dum membranis pulmonum adhæret, ipsarum motus obstruere.

Venæ & Arteriæ.

Venæ sunt quasi canaliculi sanguinem quaquaversum ad cor ipsum deferentes: pleræque suis instructæ sunt valvulis, & penè sunt innumeræ per totum corpus dispersæ; ex duobus tamen vel tribus truncis prodeunt omnes: quæ prodit ex ventriculo cordis dextro, vocatur vena cava; è sinistro nascitur vena pulmonaris, quæ pulmonibus peculiaris est, nec suos ramos ultra pulmones extendit: contra verò vena cava suos ramos per totum corpus spargit. Addunt & venam portam, tanquam ex præcipuis unam, quæ collectum per suos ramulos sanguinem in jecur deponit. Venæ unicâ constant tunica, & minimè pulsant, ut arteriæ.

Truncus venæ cavæ cordi inseritur, ac postea in duas, ut ita dicam, portiones dividitur; una est descendens, ascendens altera. Vena cava sub ipsis claviculis in duas iterum partes abit, quæ vocantur venæ subclaviæ. Inter venas, quæ ex subclaviis ascendunt ad caput, prima & exterior vocatur cervicalis, internæ vocantur jugulares; sunt & maxillares venæ, vena cephalica, sic dicta, quòd olim eam recto ductu à capite descendere arbitrati sint, hæc totam brachii longitudinem emittitur, & supra cubiti flexuram duas in partes abit: est in brachio vena altera basilica dicta, quæ tres emittit ramos &c.

Arteriæ duabus minimè constant tunicis, & innumeris nerveis fibris: sanguinem è corde deferunt in venas. Duplex dici potest principalis, nempe arteria pulmonaris, de qua superius, & aorta seu magna arteria, in truncum ascendentem & descendentem divisa, ex quo utroque prodeunt arteriolæ per totum corpus sparssæ &c.

Nervi & Musculi.

Nervus est corpus longum, teres & albicans ex multis filamentis contextum: illorum ope objectorum externorum impressiones ad cerebrum usque deferuntur; ideo ea excavata instar tubulorum tenuissimorum esse oportet, ut spiritus animales liberè è cerebro in omnes corporis partes defluant, qui quidem spiritus omnem penitus sensum fugiunt. Volunt tamen aliqui intra tubulos nerveos contineri substantiam, seu liquorem quemdam nerveum, cum quo spiritus permiscetur.

Cùm verò duplicis generis distingui soleant motus in animalibus, naturales scilicet & spontanei, nervi, qui motibus illis inserviunt, non eandem habent originem; nam qui ad spontaneos pertinent, è cerebro fluere dicuntur: qui verò naturalibus motibus sunt destinati, è cerebello descendunt; istorum jugis debet esse descensus. Ubi nota, quòd inciso animalis cerebro, cordis motus & respiratio; adeoque vita adhuc saltem ad tempus remanet; sed ubi cerebel-